



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 44. Res Regni Hierosolymitani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](#)

cognitionibus suis defixum, arroganti Sæcul. XII.
incessu, colloquentibus sibi astutum & A.C. 1182.
ambiguum. Comiter, ut videbatur,
sermonem conserentes, Andronicus &
Patriarcha alter alteri vera dixit, quæ
uterque tanquam non intelligentem
præterlapsa abire permisit. Androni-
cus deinde Constantinopolim intravit,
ubi non minore auctoritate quam in ce-
teris provinciis imperabat. Omne ta-
men honoris genus Alexio juveni exhi-
buit, eumque cum Agneta sponsa sua
Philippi Regis Francorum filia coronari
jussit.

§. XLIV.

Res Regni Hierosolymitani.

Regnum Hierosolymitanum ruinam *Guil. Tyr.*
manifeste minabatur, tum quod in- *XXII. c. 1.*
tus Principes intempestive rixarentur,
tum quod foris fidem Infidelibus datam
non servarent. Cum jam omnibus sa-
tis perspectum esset, Regis morbum le-
pram esse, qua ad res gerendas redde-
batur ineptus, ille suspicionibus agitari
coepit; Boemundum Principem Antio-
chiæ, & Raimundum Comitem Tripoli-
tanum, se suisque exclusis, Regnum u-
surpaturos esse. Quare sororem suam
Sibillam, Marchionis Montisferrati vi-
duam, alteri nuptui dare statuit; cum-
que eam alicui potentissimorum in Pa-
lestina

Sæcul. XII. læstina Principum jungere debuisset,
 A.C. 1182. præcoci consilio quemdam juvenem
 Francum, Guidonem Lusignanum, Hu-
 gonis Fisci Comitis Marchiæ filium, so-
 rori suæ maritum delegit. Hæ nuptiæ
 intra Octavam Paschæ præter morem

Id. c. 28. celebratæ. Præterea Reipublicæ noce-

Vie de Sa-
lad. MS. an.
1181.

bat Arnoldus Castellionensis Dominus
 Caracæ, cuiusdam urbis munitæ, in fini-

bus Syriæ positæ, ab antiquis Petra de-
 serti dictæ, quippe in aditu deserti Ara-
 biæ super editissimum montem extru-
 ßæ, quam Latini Archiepiscopatus titu-
 lo decoraverant. Is enim sæpe ex mu-
 nitionibus suis erumpebat, & aliquando
 insuperhabitibus pactis Latinorum cum Sa-
 ladino induciis, complura mercatorum
 agmina, rebus suis spoliata, vinculis de-
 dit. Quin etiam consilium, quod a plu-
 ribus jam annis meditabatur, exequi sta-
 tuit, atque usque ad portas Meccæ la-
 trocinari. Dum omnia ad hanc expe-
 ditionem comparat, Emirus Syriæ præ-
 fectus, admonitus, suos eduxit; nec
 tamen Arnoldum aggressus est, sed satis
 ei fuit, Meccam peregrinantibus iter
 securum præstare. Paucis exinde ela-
 pis mensibus, cum navis, qua mille quin-
 genti Christiani vehebantur, in conspe-
 ctu urbis Damietæ naufragium fecisset,
 Saladinus quotquot evaserant vinciri
 jussit, mercibus ærario suo adscriptis.

Tum

Tum missis ad Regem Hierosolymæ nun- Sæcul. XII.
 ciis, petiit, ut omnes Musulmanni, ab A.C. 1182.
 Arnaldo Castellionensi, & Templariis
 Caracensibus capti, libertati restitue-
 rentur, ac Christiani ob violatas indu-
 cias, quod par esset, persolverent. Quæ
 nisi cito obtineret, bellum Regi dice-
 bat, ac minabatur, Christianos a se vin-
 ctos eadem esse passuros, quæcunque
 Templarii Musulmannis intulissent.

Rex Balduinus ministrum Saladini
 contemtum dimisit, timens, ne offendere-
 ret Templarios, qui publice profiteban-
 tur, se nemini nisi soli Papæ & Ordinis
 sui Præpositis obedire, ac prædam de
 peregrinantium agminibus coactam red-
 dere nolebant. Itaque Regem ad susci-
 piendum bellum, id dissuadentibus o-
 mnibus Principibus, compulerunt; non
 enim pluribus copiis quam duobus tri-
 busve peditum millibus, & equitibus
 septingentis instructus erat, cum contra
 Saladinus viginti virorum millia in aciem
 posset educere.

§. XLV.

*Boemundus Princeps Antiochiæ ex-
 communicatur.*

Anno superiore, millesimo centesimo *Guit. Tyr.*
 octogesimo primo, Boemundum Prin- *XXII. c. 7.*
 cipem Antiochiæ, qui pellicis amore ca-
 ptus